






AVE
FRIDERICO
CHRISTIANO,
 AUGUSTI III. POLONIAE. R. EL. SAX.
 PORPHYROGENITO,



IN
 Auspicatissimo exoptatissimoq. ejus Adventu
VINDOBONAM

AN. AE. CHR. MDCCXL. XI. KAL. QUINTIL.

Supplici acclamatione dictum

A

SERENISS. PRINCIPI ELECT.

DEDICATISSIMO

JO. CAR. NOB. A NEWENSTEIN,

S. R. I. EQ.

Caes. Aul. Poet. Laur.


QUINCTUS HORATIUS FLACCUS

Carm. L. IV. Od. V.

AD

AUGUSTUM.

*Lucem redde tuae, Dux bone, Patriae;
 Instar veris enim vultus ubi tuus
 Adfuit populo, gratior it dies,
 Et soles melius nitent.*



EX

AUGUSTA CHALCOGRAPHIA PALATINA.



POEMATION.



Allor, an incipiunt steriles vanescere
nimbi,
Et tenebras alio lux operosa fugat.
Quae modo regnabat, glacialibus aspera ventis,
Desidiosa fugam jam meditatur, hiems.
Ocius ut fugiat, denso ver fasce rosarum
Effoetam multo verbere pulsat anum.
Excussere nives humeris immanibus alpes,
Et suus est campis arboribusque decor.
Secla renascenti redeunt felicia mundo,
Et repetunt priscos tempora nostra dies.
Quos neque trux aquilo, ventosaeque nubila
foedent,
Humida vel Pleias Oleniumque pecus.
Aut strepera obturbet tumefactum grandine
coelum,
Aut fragor e summo desuper axe cadens;
Sed facies ornet coeli jucunda sereni,
Quae sua Saturno regna tenente stetit.
Quum tellus zephyros sensit spirare perennes,
Verque novum terris, & sine fine fuit.
Caesaribus dives Proavis, decus addite Divis,
O mihi tot Regum suspiciende Nepos!
Te veniente redit nobis clementia coeli,
Et pariunt mites mitia flabra noti.
Roridus & zephyros vitales imbuit aer,
Verque mihi aeternum Te veniente venit.

Non

Non fugiunt nisi sole vagae veniente tenebrae;
Phoebe, serenatam Tu facis ire diem.
Lustrat & illustrat totum Tua purpura mundum,
Et facit o adamas te sibi SAXO parem.
Non cecinit frustra, nostri quae culmine Pindi
Sedit, & Adventus praescia plaufit, avis.
Ex istis, dixit, surget lux aurea nimbis,
Et veniet placidis mollior ira Diis.
Nec levis hinc nostris accedet gloria rebus,
Deque Tuo nobis nomine nomen erit.
Et si Tu facilem non aspernabere musam,
Immensas Regum despiciemus opes.
Tunc ego Sacra novem facturum lucibus ibo,
Et caput hoc lino candidiore tegam.
Hoc precor, hoc posco supplex, hoc cernuus
oro;

Di faciant voti sit rata summa mei!
Ingredere, & votis jam nunc adsuesce vocari,
O decus, o Columnen nobile Saxoniae!
Jam musis luceſce tuis, atque exere flammam,
Queis sine vel medio nox erit atra die.
Jam noster diceris amor, jam gratior hospes,
Pellicies Clarias in mea vota Deas.
Audiet, & festos mirabitur Iſter honores,
Et faciet fluctus lenius ire suos.
Sed modo Danubius se cingit arundine, & ipsae
Advenisse Deum scire videntur aquae.
Pangite laurigerae faustum paeana Camoenae,
Et stiliſ in lauri cortice scribat Ave!
Ergo agite, & pacis studiis, & marte verendum
Ite salutatum carmina nostra Ducem.

Hic



10 325 M

Hic ille **AUGUSTO** clarus Patre, clarior olim
 Et Patre, & magnis ipse futurus Avis.
 Quis decor in vultu, quae gratia, quanta per ista
 Majestas radiat lumina, quantus honor!
 En pene inscripta est mediae prudentia fronti;
 Si tanta est frontis, quanta ea mentis erit?
 Visendi studio concurrunt undique cives,
 Et minor est populo magna Vienna suo.
 Ast ego perrumpens conferta per aequora vulgi,
 Pone mei Phoebi laurea ferta sequor.
 Nam mea quum semel hoc spectarunt lumina
 Sidus,
 Usquam alio cursum flectere posse negant.
 Dexter ades, **FRIDERICE**; Auget praesentia
 famam,
 Spemque bonam Adventus jussit habere Tui.
 Tu Favitor, Tu Mecaenas, Tu noxter Apollo,
 (Hoc mihi juravit fama) benignus eris.
 Roma triumphatis metuendum gentibus omen,
 Italiaeque omnes hoc stupuere plagae.
 Hocque peregrini celebrabunt carmine vates;
 Sic juvat immensae carpere laudis iter.
 Hic Tibi sit **CAESAR** Castor, sit **REX** Tibi
 Pollux,
 Nec speres alia tutius ire via.
 Si placeat Superis, longum Tua Numina terris
 Tradere, non aegre livida fata feram.
 Ut nos Te longum: nobis longum ipse fruaris,
 Et facilis musas sublevet aura meas.



ne





AVE
FRIDERICO
CHRISTIANO,
 AUGUSTI III. POLONAR. R. EL. SAX.
 PORPHYROGENITO,



IN
 exoptatissimoq. ejus Adventu
 NDOBONAM
 MDCCXL. XI. KAL. QUINTIL.
 plici acclamatione dictum

S. PRINCIPI ELECT.
 DEDICATISSIMO
 NOB. A NEWENSTEIN,
 S. R. I. EQ.
 Caef. Aul. Poet. Laur.

IS HORATIUS FLACCUS
 Carm. L. IV. Od. V.
 AD
 AUGUSTUM.

*Lucem redde tuae, Dux bone, Patriae;
 Instar veris enim vultus ubi tuus
 Adfulsit populo, gratior it dies,
 Et soles melius nitent.*



EX
 AUGUSTA CHALCOGRAPHIA PALATINA.

